

banos ita, ut in se ingenium sobriae virtutis, in Clodio indicia foeditatis et dedecora proscribat.

Frgm.
XXIII

Tu, qui indutus muliebri veste fueris.

Videtur enim Clodius habitu muliebri sexum mentitus penetrasse domum C. Caesaris, ut incestum sub hac fraude 5 committeret. Id describitur . . . , ut omnia liniamenta turpitudinis detegantur.

Frgm.
XXIV

Cum calautica capiti accommodaretur.

. . . genus, quo feminae capita velabant, hoc nomine ferebatur. Et Afranius meminit in Consobrinis ita di- 10 cens: *Cum mithris, calauticis*. Inpudico igitur habitu erubescendi dedecoris quaedam figura describitur. Atque ita se et in historia temporis huius commemoratio habet: C. Caesaris pontificis maximi praetoris domi sacrificium sollemne pro populo fiebat. Huc vir ornatu muliebri 15 quod introierat, sacrificium instauratum est. Res ad senatum delata est. Patres conscripti decreverunt, <ut> de ea re non aliter quam de incestu quaereretur. Eo crimine reus factus est P. Clodius Pulcher delatore L. Lentulo, qui consul fuit post cum C. Marcello, sub- 20 scribentibus Cn. et L. Lentulis. Aurelia, Caesaris mater, testis in iudicio audita est. Ea pro testimonio dixit suo iussu eum esse dimissum; idem dixit Iulia, soror Caesaris. Et tamen post haec absolutus est.

Frgm.
XXV

Credo, postquam speculum tibi adlatum est, 25 longe te a pulchris abesse sensisti.

Festivissime simul et nobilitatem generis infamatam et mores femineos in speculi contemplatione detexit, quo ferme ad explorandam curae suae diligentiam mulieres uti solent. Ergo et inliberalem figuram probro dedit et 30 maiorum suorum dissimillimum contestatus est. Nam fuit hoc Claudiae familiae cognomen inlustre. Quippe anti-